

† R. P. Alfonsus Gerardus Hild (1895–1936)

(*Prov. Baltimorensis*)



Inter tredecim sodales, qui anno superiore in Provincia Baltimorensi fideles vocationi suae in Domino obdormierunt, R. P. Alfonsus Gerardus Hild singulari mentione dignus videtur, non quidem quia aetate provector fuit, sed quia labores arduos et egregios paucorum annorum spatio exantlavit, et praesertim quia una cum Plur. R. P. Francisco Mohr antesignanus fuit primi agminis militum nostrorum Brasilianorum, et nunc eorum omnium signifer triumphans ad coelum evolavit.

Dilectus sodalis noster, secundus inter decem liberos, ortus est ex familia vere catholica, in qua vocatio ad statum religiosum erat, ut ita dicam, hereditaria. Nam duos patruos habuit, fratres germanos, R. P. Iosephum

---

<sup>1</sup> Iac. 5, 13.

Hild, qui est adhuc inter vivos, et R. P. Alfonsum Laur. Hild, qui iam anno 1905 mortuus est in sinu Congregationis nostrae. Praeterea R. P. Ioannes Seb. Hild, C. M., eius germanus frater natu minimus est.

Natus est Alfonsus noster die 24 Iulii 1895 in urbe Baltimora Status Marylandiae, et baptizatus est die sequenti in ecclesia S. Alfonsi a R. P. Ioanne Klang, qui hodie est Senior Provinciae Baltimorensis. Puer eminebat pictura lineari, quam didicit in schola Fratrum Scholarum Christianarum. Curriculo scholae parochialis absoluto, per aliquot annos frequentavit gymnasium S. Ignatii Baltimoreense, quo tempore surgens hora quarta matutina ante scholam patrem pistorem adiuvare solebat panes emptoribus notis deferendo, interdum centum uno mane. Deinde ascriptus est inter alumnos iuvenatus nostri NorthEast et post studia humaniora feliciter exacta ingressus est novitiatum Ilchestricensem, ubi vota emisit die 2 Augusti 1919.

Sacerdotio initiatus est in domo studiorum ab Eñno Cardinali Patritio Hayes, Archiepiscopo NeoEboracensi, die 14 Septembris 1924. Post secundum novitiatum Annapoli transactum brevi tempore in ecclesia S. Petri Philadelphensi et S. Mariae Buffalensi laboribus parochialibus incubuit. Translatus deinde ad collegium Ephratense, sedulo navavit operam missionibus aliisque laboribus apostolicis.

Dum tradit missionem in ecclesia nostra Annapolitana 13–27 Octobris 1929, accepit litteras a Pl. R. P. Provinciali, e quibus didicit se simul cum R. P. Francisco Mohr Superiore electum esse ad Missionem Brasilianam a fundamento inchoandam et condendam. Omnibus igitur ad longum iter paratis nostri missionarii reliquerunt portum NeoEboracensem die 23 Nov. 1929 paullo post mediam noctem. Itinere tredecim dierum confecto appulerunt ad urbem Santos in Brasilia die 6 Decembris 1929, ubi benignissime excepti sunt a Pl. R. P. Stephano Heigenhauser, qui tunc erat Superior Vice-Provinciae de São Paulo et nostris semper amicissimus mansit<sup>1</sup>.

Quamquam initia Missionis Brasilianae non tam ardua erant, quam fuerant initia primis Redemptoristis in Statibus Foederatis, nihilominus praebant sescentas difficultates<sup>2</sup>. Multa addiscenda erant praeter linguam Lusitanam, pleraeque commoditates hodierni cultus atque humanitatis, quibus quis paulatim consuefit, in illa regione interiore Brasiliae, ubi nostri sedem collocare iuebantur, desiderantur. Omnia fere ab initio erant erigenda. Noster autem Alfonsus ad omnia paratus erat, et postquam ecclesia in oppido Aquidauana nostris tradita est die 25 Ianuarii 1930, coepit consueto ardore exercere ministerium apostolicum. Die 8 Martii primum adivit urbem Miranda, ubi postea munere Superioris fungebatur, et tam bene interim linguam Lusitanam addidicerat ut proximo die, Do-

<sup>1</sup> De eo cfr. *Analecta* h. a. p. 124-127.

<sup>2</sup> Cfr. *Analecta* XI (1932), p. 85-91.

minica I Quadragesimae, vespere contionem Lusitanam habuerit coram 72 fidelibus.

Aucto operariorum numero, R. P. Hild cum R. P. Iosepho Fien profectus est ad oppidum Miranda die 9 Augusti 1930 munere Superioris functurus. Missio Brasiliana, quae primum accepta erat experimenti causa, canonicè erecta est postea die 12 Septembris 1931 cum tribus domibus: Aquidauana, Miranda et Bella Vista <sup>1</sup>.

P. Hild, indefesse laborans pro salute animarum suae curae demandatarum, inter molestias cuiusvis generis perseveravit in officio sibi credito usque ad finem mensis Decembris 1934, quando consuluit medicum in urbe São Paulo praeclarissimum, qui post examen accuratum dixit eum laborare ex cancro intestini recti, et iussit eum statim redire NeoEboracum ut curationem morbo adhiberet, neque sinebat eum iterum ad communitatem suam reverti. Adm. R. P. Mohr telegraphice de morbo sodalis horrendo edoctus, item nuntio telegraphico ei mandavit ut medico obtemperans sine mora NeoEboracum peteret.

Itaque e portu Santos profectus est die 16 Ianuarii 1935, et die 31 eiusdem mensis advenit NeoEboracum. Duos tresve dies commorabatur in domo nostra Brooklyniensi, donec die 2 Februarii 1935 admissus est in nosocomium S. Vincentii NeoEboracense positum sub cura Sororum Caritatis. Nondum attigerat aetatem quadraginta annorum et iam laborabat morbo pernicioso, cuius curatio est difficillima et admodum incerta, quemque Ovidius poëta antiquus vocavit *malum immedicabile*.

Cum morbus ille indigeret curatione sua propria, compluries delatus est ad alterum nosocomium NeoEboracense, quod appellatur *Memorial Hospital*, radiis *Roentgen* subiiciendus.

Quod nosocomium cum sit acatholicum neque habeat sacellum catholicum, patruus Alfonsi, P. Iosephus Hild, rogavit Eñum Cardinalem Patrium Hayes, Ordinarium NeoEboracensem, ut Alfonso concederet facultatem litandi Missam in cubiculo; quam gratiam Eñus Princeps benignissime concessit mense Novembri. Eminentia Sua etiam Alfonso aegrotum bis invisit et longiore sermone cum eo collocutus est, ubi inter alia non dubitavit affirmare: « Nullus Ordo nullave Congregatio religiosa tantam curam confert in aegrotos suos, quantam conferunt Redemptoristae ». Non solum sodales nostri eum frequenter invisebant, sed etiam alii. Erga omnes sese sodalis noster affabilem ostendebat ac grato animo omnia beneficia, vel minima, sibi collata accipiebat.

Summa utique virium contentione adesse potuit ad celebranda sollemnia semisaecularia sacerdotii patris R. P. Iosephi Hild die 25 Martii 1936 in ecclesia et collegio Brooklyniensi peracta, quibus interfuerunt quoque

<sup>1</sup> *Analecta* X (1931), p. 226.

Episcopus Auxiliaris Brooklynensis, Exm̄us Raymundus Kearney, multi Praelati, Plur. R. P. Provincialis Andreas B. Kuhn cum permagno nostrorum numero.

Quoniam R. P. Iosephus Hild bene notus est, non tantum in Statibus Foederatis, sed etiam in aliis regionibus, multae preces pro R. P. Alfonso Hild fratris filio pie fundebantur. Quodsi Alfonsi nostri curationem non impetrarunt, promerebant ei tamen maximam in perferendis molestiis et angustiis patientiam, quae *patientia opus perfectum habet*. Patientia illa, qua ei opus erat tam frequenter in Missione Brasiliana, quamque testibus multis ibidem miro admodum pacto exhibebat, animum eius non deseruit tempore adversae valetudinis, ita ut appellaretur omnium aegrotorum optimus quem nosocomium, sive catholicum S. Vincentii sive acatholicum *Memorial*, unquam habuisset, et chirurgus primarius nosocomii S. Vincentii, qui fere quotidie solebat Alfonso salutare, sine cunctatione aegrotantis custodi ac ministro dixit: « En tibi exemplum fortitudinis christianae! »

Deficientibus gradatim viribus, in dies clarius patuit eum sine miraculo sanitatem recuperare non posse. Itaque tribus hebdomadis ante mortem sacramentis ultimis munitus est cum Benedictione Apostolica ac pia votorum renovatione a R. P. Thoma Donohue, confessario suo fidelissimo, qui aegrotum sodalem constanter singulis septimanis visitabat. Paratus erat Alfonsus noster reliquam vitam dicere Missioni Brasilianae, si sanitas sibi restitueretur, et antequam Brasiliam relinqueret, promiserat Dominae Nostrae de Penha se rogaturum esse a Superioribus facultatem promissum servandi, uti Pl. R. P. Mohr in oratione funebri nobis patefecit. Ad mortem usque iucundissimum ei erat audire de progressu laborum apostolicorum in Brasilia. Cum Plur. R. P. Mohr in patriam reversus eum invisit die ante mortem et eum oravit ut in domo aeternitatis suae benedictionem caelestem laboribus sodalium Brasilianorum imploraret, lentissime respondit: « Ita; opinor nos id etiam providere posse ».

Ab amantissimo sodali, R. P. Matthaeo Meighan, per totam ultimam noctem in modum vere fraternum adiutus orationibus, suspiriis, iterata votorum renovatione, absolute sacramento, fidelis vocationi suae cum invocatione B. Matris Mariae in ore placidissime in Domino obdormivit primo mane die 13 Iunii 1936, signifer victor militum nostrorum Brasilianorum.

Exsequiae persolutae sunt in ecclesia nostra Brooklynensi, ubi R. P. Iosephus Hild celebravit Missam sollemnem cum RR. PP. Iacobo Murphy diacono et Friderico Fochtmann subdiacono, qui cum defuncto Alfonso in Brasilia laborabant. Orationem funebrem eximiam pronuntiavit Plur. R. P. Mohr, Superior Vice-Provinciae de Aquidauana et comes ibidem Alfonsi fidissimus ac perpetuus. Inter alia commemoravit populum iam

valde in melius mutatum esse frequentatione sacramentorum, liberorum educatione, morum emendatione, quae evenit in illis silvestribus Brasiliae locis intra breve sexennii spatium.

Corpus defuncti sodalis deinde delatum est ad hypogeum sub ecclesia SS. Redemptoris NeoEboraci situm, ubi conditum est iuxta sepulcrum R. P. Alfonsi Laur. Hild patruī, cuius nomen quoque acceperat.

R. I. P.